

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio Vicesima Septima*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente*

ASCANIO BAKIO

Parthenopolitano Saxone

*Dominica Cantate.*

*A. O. R. cl. Id. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-  
schlegely*

*In Un*

DIVINARUM  
EVANGELICARUM

Disputationes

PARADE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore


Responsorio

ASCANIO BAKIO

Parchenopolitano Saxone

Dominice Cantate.

et O. R. ch. loc. m.



HALLIS SAXONUM

Rechtswissenschaften Melchioris Ol.

schlegel



ANALYSIS  
EVANGELII

DOMINICA CANTATE

*Joh. 16. a v. 5. usq. ad. 15.*

Πεγοίμιον.

**R**aphael magnus ille Angelus, pulso in desertum Dæmone, qui septem viros interfecerat, Tob. 12. v. 20. postquam reduxerat filium, Pater visum receperat, valedicens, dixit: jam tempus est ut revertar ad eum, qui misit me. Idem magnus consilii Angelus peractis similibus dicere voluit, uti pluribus ostendit Evangelium.

THESIS I.

**I**N quo habetur partim de Christi beneficio, & eius abitu, ubi continetur intermissa

A a a

de

de abitu interrogatio, tanquam occasio v. s.  
 In quo præmittitur, tum tempus: Nunc.  
 Que particula determinativa temporis res-  
 pectum habet ad proximum præcedens verbum,  
 ἕμην, dum hæc ab initio non dixi, quia vobis-  
 cum eram. Ut discamus distinguere tempo-  
 ra, quod si rectè velimus explicare Spiritus S.  
 verba.

2. Tum eventus, in genere, per effe-  
 ctum: vado. Per quod intelligitur non tan-  
 tum mors, ex Ps. 39, 14. sed totum redemptionis  
 nostre mysterium, quod Christo ratione officii  
 sui mediatorij absolvendum; quia 1. vadere op-  
 ponit familiari isti conversationi, & sic ex op-  
 positione 2. quia iam iam instabat mors, &  
 ita ex temporis determinatione, 3. ex paral-  
 lelorum locorum collatione, Joh. 13,  
 33. 14. v. 2. 16, v. 10. 17. v. 1. ut ita intelligatur  
 non solum terminus ad quem, sed etiam via per  
 quam, & terminus à quo. Ut discamus, cum  
 inquit se vadere, spontaneã subiisse passionem,  
 ex Ps. 40. v. 6. Joh. 10. v. 18. Ac si diceret  
 nunc vado, hoc est, hætenus in cursu ministerij  
 hostes mee vite sæpius fuere insidiati, sicut Na-  
 zarethani voluerant me precipitare, Luc. 4,  
 v. 29. Iudei in templo lapidare, Joh. 8, 9. sed  
 non potuerunt, quia nondum venerat hora.  
 Nunc

Nunc autem cum adsit constitutum passionis tempus, à nemine coactus vado. Ut discamus spontaneam ipsius passionem, & nostri redemptionem.

3. In specie, quoad terminum, & obiectum: Ad eum, qui misit me. Nempe intelligit Patrem suum cœlestem, à quo ad perficiendum opus redemptionis in mundum missus fuerat, Joh. 16. v. 28. ad quem venit per passionem & mortem, Luc. 24. v. 26. Non quasi, dum his in terris docuit, separatus fuerit à Patre: siquidem verbū in principio erat apud Deum, Joh. 1. v. 1. & Pater in ipso manet, Joh. 14. 10. sed quia in exaltatione suā, statum exinationis secuta, deposuit formam servi, Phil. 2. v. 7. In diebus enim carnis sue visus est paupersper relictus, Ps. 8. v. 6. Ebr. 2. v. 7. sed post publicè manifestatum est, quod sit DEI dilectus Filius, Rom. 1. v. 4. Et quemadmodum, David in decennali suo exilio maiestate suā caruit, quamvis in Regem esset unctus, sic Christus cœlestis David, Jer. 30, 6. Ezech. 34, 33. statim in primo conceptionis momento unctus in Regem, Psalm. 2. Psalm. 45, 8. sed semet ipsum exinanivit, Philip. 2, 8. Post completum vero ministerium, accepta omni potestate in cœlo & in terrā, Matt. 28, 28. ad Patrem

suum rediit. Ut ostendat, non esse mundanum regnum suum, simulq; innuat opus redemptionis esse consummatum. Ut discamus quemadmodum Christus, ita nos quoq; vadere ad DEUM, esse ad gloriam ire: Tota enim vita in his terris, nihil aliud est quam transitus, Eccles. 12, 7. Non verò intelligitur localis discessus, sed ad dextram maiestatis divinae confessus. Potius innuitur personalis à patre distinctio; cum enim vadit ad eum qui misit, ergò est distincta persona à mittente. Alias dominatur in medio inimicorum suorum Psalm. 110, v. 2. non relinquit nos orphanos, Ioh. 14, 18. nobiscum est usq; ad consummationem seculi, Matt. 28, 20.

4. Et exponitur, effectus negatus; qui est discipulorum stupor, ratione modi: Et nemo ex vobis interrogat me. Audientes enim Christum à se abiturum, ita redduntur attoniti, ut ne mutiant quidem, vel querant quid per abitum intelligendum, sic ergò his verbis exprobrat iis Christus silentium; Et tamen Apostoli antè quesiverant, ut Petrus Ioh. 13, 13. & Thomas, Ioh. 14, 1. Verùm sensus verborum Christi est ipsos non perpendere ad quantam gloriam ei9 abitus sit evehendus. Ut discamus detestandam oscitantiam



in rebus fidei, & Christi docendi diligentiam: voluit enim eos interrogare. Vt discamus, etiam de omni actione & instituto inquirere.

5. Et ratione termini; Quo vadis. Id est quo hoc vel illud perficis, cum tantum utilitatis abitus ille afferat, & tamen non satis dignè consideretur.

6. Et est ob annunciatum abitum contristatio v. 6. in quo impulsus, sed quia hoc locus sum vobis. Vbi particula *αὐτὰ* iuxta Theophylactum per enim explicatur; Vti etiam Syrus vertit. Sicq; mœrorem ipsis exprobrat, antea stuporem, tantum propter annunciatum abitum. Id quod pronomen *αὐτὰ* denotat, precipua enim mœroris causa in discipulis fuit predictio de abitu.

7. Et effectus: mœstitudo implevit cor vestrum. Quæ verba emphatica magnitudinem tristitiæ indicant. Atq; ita contristatur humanus affectus, quia carnalis, inquit Augustinus serm. 94. desolabatur affectus. Quod & verbum implendi exprimit. Chrysostomus inquit: Non parva hæc consolatio est, cum ipsi intelligerent, quod scirent, quantâ tristitiâ afficerentur. Vt discamus in mysteriis ad finem respiciendum: Nam Dominus promissiones suas sub contraria specie adimplet:

promittit justitiam, sed finit credentes injusti-  
tia nomine a mundo condemnari; promittit  
pacem, sed turba expectatur, promittit gau-  
dium & venit mœstitudo. Ut observemus,  
non semper suavia esse expectanda, sed talia  
quò cum timore & tremore salutem operemur,  
Phil. 2, 10.

8. Tum est ratio, quæ est abitus istius  
consolatio, v. 7. In quo in genere, summa-  
tim, per asseverationem: sed ego veritatem  
dico vobis. Ita præmittit ad majorem di-  
ctorum veritatem asseverationem, ex personæ  
sua conditione petitam, cum ipse sit ipsa veri-  
tas, Job. 14, 6. Et quid veritas, nisi veritatem  
dicere potes? habet Eusebius Emislenus in  
hunc locum. Et dicit hoc non tantum sermo-  
nem suum confirmando, quantum illorum cor-  
da consolando. In veritate autem, habet Cas-  
sial. 12. c. 13. debet omnis quiescere intellectus,  
omnis ratio in veritate terminatur, ultra ve-  
ritatem omnis inquisitio est importuna, nemo  
in veritate fallitur, si vos amici mei estis, qui  
sum veritas, ergo & veritatis amici esse debe-  
tis. Chrysost. homil. 77. particulam ἀλλὰ  
cum verbo proximo λέγω coniungit dum in-  
quit: Non ad gratiam loquor: quamvis & pos-  
set conjungi cū verbo remotiore συμφέρει, quasi  
reliqua

reliqua verba in parenthesi forent, ut Luc. 13, 3. Ubi etiam verba, dico vobis, parenthetice inferuntur, ac si diceret: Vos quidem tristiciam estis impleti, quasi discessus meus magnum vobis afferat nocumentum, sed revera salutaris est. Ut discamus verba Dei sine ulla dubitatione amplectenda esse.

9. Et per utilitatis declarationem: expedit vobis, ut ego vadam. Nempe, ut si eos contristaretur mors, latificaret eius resurrectio, & si contristaretur eius secessus, consolaretur Spiritus S. accessus, ait Haymo. Noverat ille quid eis potius expediret, quia visus interior ipse est utique melior, quo eos consolaturus fuerat S. S. non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium pectoribus infusus. Quasi dicat: expedit vobis ut hac forma servi a vobis auferatur, habet August. serm. 94. Inde & Albertus in hunc locum: expedit vobis ut abeam, quia praesentia carnis meae tenet vos insensibili consolatione, & non permittit redire intus ad contemplationem veritatis. Sentire de me sensibiliter est sentire in infirmitate, sentire autem de me intellectualiter, est sentire spiritualiter. Imò non tantum expedit ipsis discipulis ad gratiam apud Deum, ad securitatem conscientiae, sed

11aa 4                      nobis

nobis etiam expedit omnibus, quia quamdiu  
 Christus se visibilem in carne passionali exhibuit, tantum paucis praesens fuit, postquam  
 autem ad dextram Patris elevatus, implens  
 omnia, jam omnibus praesens est, quia omnia,  
 quae Christus in diebus carnis suae fecit, nobis  
 fuerunt salutaria. Utile erat Filium Dei de  
 caelo descendere per incarnationem, & genus  
 humanum redimere: Utile etiam fuit rursus  
 sursum ascendere peracto redemptionis opere,  
 ut beneficia in Ecclesia distribueret, & appa-  
 reret vultui Dei pro nobis, Ebr. 9, 24. Ut di-  
 scamus per multas tribulationes etiam nos in-  
 trare in regnum Dei, Act. 14, 21. Et si expe-  
 dit ut unus homo moreretur pro populo, uti  
 dixit Caiphas Pseudosacerdos, Joh. 11, 50 etiam  
 expedit ut abiret. Ut discamus utilia querere  
 aliis, uti monet & Paulus 1. Cor. 10, 36. 2. Cor.  
 12, 14. non ut Ahab, qui vineam Nabothis si-  
 bi expedire arbitrabatur, 1. Reg. 21, 2. Abiit  
 autem, quemadmodum supra dictum est, ut  
 nobis expediret per absentiam naturalem,  
 mundanam, visibilem, manet autem per praesentiam  
 supernaturalem, invisibilem, gratio-  
 sam; non abiit ut abesset, sed ut praesentius  
 adesset.

10. In specie, sigillatim ab utili effectu partim detrimentoso negativè, ubi antecedens: Nisi enim abiero. Hoc est, si non passus fuero, & pro mundo satisfecero: Et nisi carnis presentia vestris subducatur aspectibus, spiritualis gratia plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus, August. tract. 94. si enim alimenta tenera, inquit idem August. serm. 94. in Joh. quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carni carnaliter adhaeseritis, capaces spiritus non eritis.

11. Consequens: consolator ille non veniet ad vos. Quem tamen aliquoties vobis promisi, Joh. 14, 16. Joh. 15, 26. Non quia non poterat ipse in terra positus Spiritum dare discipulis, habet Beda, cum aperte legatur, quia post resurrectionem eis insufflavir; sed quia ipso in terrâ positò, & corporaliter conversante cum illis, non valebant illi erigere mentem ad scienda munera gratiae coelestis, ait Beda. Et quid est hoc, habet Bernh. serm. 3. de ascens. quod Christo commorante Spiritus Sanctus ad eos pervenire non potest? Ad carnis illius consortium apparebat, quae de ipso & per ipsum in virgine & de virgine matre concepta erat & nata? Absit; sed ut ostenderes,

Aaa 5                      nobis

nobis per quam ambularemus viam, formam  
 apponeret, cui imprimeremur. Et idem serm.  
 3. in Felt. Pentec. Nisi ego abiero idem est, si  
 non dederitis quod amatis; non habebitis quod  
 desideratis. Expediit ergo vobis ut ego vadam  
 de terra ad caelum, de carne ad spiritum trans-  
 laturus; Atq; ita gratissimum commercium  
 inter caelum & terram, inter Angelos & Apo-  
 stolos factururus, ut exhiberetur illis caro Chri-  
 sti, his vinum caeli, essetq; in terra Spiritus, caro  
 in caelis. Ut discamus quod non sint capaces  
 Spiritus Sancti, qui carnis illecebras adhuc se-  
 ctantur. Et ita Christus per diem parasceves pa-  
 ravit nobis diem Pentecostes. Christus ergo hoc  
 voluit dicere: Nisi prius ad dextram Dei eleva-  
 rus in caelum omnem potestatem accepero, non  
 effundentur admiranda illa Spiritus S. dona,  
 vobis promissa, Act. 2, 33. Eph. 4, 11. quia do-  
 num Spiritus Sancti donum plane est gloriosum  
 & majesticum. Non ergo conferre voluit  
 in statu exinanitionis, sed in statu exaltatio-  
 nis. Inde Augustinus inquit: Spiritus Sanctus  
 uti de caelis mitti debuit, ita Christum in cae-  
 lum ascendere oportuit. Et possunt dari & alia  
 causa quare Deus hoc decreverit, nempe  
 ut toti mundo manifestum fieret donationem  
 Spiritus Sancti esse fructum passionis, Gal. 3, 3.  
 Dein-

Deinde membra corporis Christi non erant tantà glorià ornanda, nisi ipso capite prius glorificato. 3. non nisi reconciliatis plenitudo erat exhibenda cum Deo. 4. Spiritus Sanctus tenuit Apostolis dicere veritatem at quare ipsos doceret, nisi Christus ea prius prestaret quæ ratione officij erant præstanda. Consolator autem dicitur in aduersis, Doctor in obscuris, iudex in peccatis, propheta in futuris, quæ nomina officij omnia habentur in voce paracliti.

12. Affirmativè, ab effectu fructuoso, ubi antecedens: si autem abiero. Sicq; amplificat abitum à causa efficiente procreante. Ut ostendatur abitus necessitas; Nam Christus ut fons, prius debuit impleri, & canalis per quem ad nos descenderet hæc aqua Spiritus, hoc est caro ejus glorificari, antequam reliqui homines in tanta copia participarent.

13. Consequens; mittam illum ad vos. Non quasi non haberent, quia non prohibuit Christus: nec per consiliū, sed per originem, ut ostendatur Spiritum Sanctum non solum à Patre, sed etiam à Filio procedere. Et ut discamus eiusdem divinitatem. Et enim quod dicit, Spiritus S. paraclitus veniet, ad potestatem Filij pertinet; quod verò addit, mittam ego, ad maiestatem Filij spectat; non enim est debita missio, sed voluntaria, non physica, sed gratiosa.

Nec

Nec ramentum humana Christi natura à missione Spiritus, & distributione donorum est excludenda; non quidem per  $\Phi\upsilon\sigma\iota\upsilon$ , sed per  $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma$ . Ut ita dicamus Deum donum interdum aliquod auferre, sed majori beneficio compensare. Sic presentiam Christi discipulis subtraxit, sed emissione Spiritus pariavit, imò superavit, ut factum fratribus Josephi, Gen. 45, 20.

14. Partim de Spiritus Sancti officio & effectu, qui consideratur dum respectu mundi, in genere, & conjunctim, & est mundi postulatio, v. 8. In quo tempus. Et cum venerit ille. Non quidem proprie loquendo venit: est enim ubiq; presens, ut qui replet orbem terrarum, Sap. 1, 7. est in omnibus, Sap. 12, 1. Sed quando venire dicitur, de aliquà peculiari manifestatione intelligitur; quomodo in festo Pentecostes in dissectis linguis venit super Apostolos, ut sensus sit: quam primum juxta promissionem meam Spiritus Sanctus effusus fuerit. Ut dicamus adventum Spiritus non unum, sed multiplicem esse.

15. Deinde eventus, & ratione effecti; arguet. Hoc est, non simpliciter accusabit & reprehendet, quemadmodum usurpatur, Matth. 18, 15. Ephes. 5, 11. 1. Timoth. 5, 20. sed



sed certis, perspicuis & immotis argumentis, ut in conscientis cogantur agnoscere errorem. Ut discamus Spiritum S. utiq; arguere per verbum cum iudicaturus sit Christus in novissimo die secundum verbum Job. 12, 48. Non verò arguit immediate, sed mediate per ministerium predicati verbi, quod propterea ministerium Spiritus dicitur 2. Cor. 3, 8. Ut discamus officium esse Spiritus, & ita etiam ministrorum, arguere peccata. Nec intermittant, quia est severa Dei preceptio, Es. 58, 1. comminatio, Ez. 3, 18. exemplorum etiam postulat conformatio, modò legitimus modus adhibeatur; ne illud Augustini cogatur quis audire, lib. 4. c. 27. de doctrina Christiana dum inquit: quid mihi precipis quod ipse non facis? Ideoq; iuxta Christi preceptum instituendum Matth. 23, 15.

16. Ratione objecti, & vel summam: mundum. Vbi per metonymiam subjecti intelliguntur homines in mundo: & per synecdochengeneris prospectis impii & increduli, sive potius totum genus humanum. Id quod probatur ex frequentiore mundi significatione Job. 3, 16. ex scopi consideratione, ex complementi consecutione, Act. 2, 23. Rom. 3, 9. Mundus itaque arguendus est, non connivendum.

17. Si-

17. Sigillatim in genere *vel est* personale: de peccato. Nempe uti de quovis, ita in specie incredulitatis. Et, de justitia, quam non ordinat, dum sibi non derogat. Et reale, de iudicio, quod usurpat dum tam de se quam de aliis temerè iudicat, uti habet Bernh. serm. 25. in parvis.

18. In specie illa per epanodon, ubi membra accusationis explicantur, & quidem directò est peccati accusatio, v. 9. In quo subjectum: de peccato quidem. Nimirum rationem reddit cur Spiritus S. mundum pro ratione triplicis officii sui sit convicturus. Et peccatum premitit, quia caput est & fons omnium malorum, quemadmodum etiam Cyrillus interpretatur ex Iob. 3, 18. Iob. 8, 24. dum testatur scriptura, peccatum esse culpam omnium calamitatum & miseriarum. Tum comprobat praxis Apostolica: siquidem Apostoli suis concionibus omne peccatum arguunt, id quod etiam patet ex sequentibus.

19. Et est tum argumentum, cuius nota; quia. Quod non tam specificativè & εἰδικῶς accipitur, quam causativè seu αἰτιολογικῶς: siquidem peccati nomine simpliciter posito tota natura corruptio in scriptura intelligi consuevit, Iob. 1, 29. Rom. 3, 9. Deinde Spi-

ritus

*ritus S. arguit etiam alia peccata. Et deniq<sup>3</sup> non  
conveniret in cæteris membris.*

20. *Et, materia: non credunt in me.  
Vbi non tantum peccatum crucifixionis intel-  
ligitur, siquidem per mandum nõ solum judæi,  
sed & gentes intelliguntur, neq<sup>3</sup> solum peccatum  
incredulitatis, uti voluit August. tract. 95. in  
Iohann. quamvis, uti loquitur, hoc manente  
cætera detineantur, hoc discedente cætera re-  
mittantur. Et sicut origo virtutum est fides, ita  
solidamentum est vitiorum in incredulitate con-  
sistere, Domino terribiliter attestante, qui ait:  
qui non credit jam judicatus est, habet Beda.  
Ut ita primario incredulitas arguatur, quia est  
unica damnationis causa, dum directe Christo  
opponitur; Et quia delicta exteriora non solum  
a lege, sed ipsa hominum conscientia argun-  
tur. Incredulitas autem est peccatum occul-  
tum; Et quia deniq<sup>3</sup> Christus ipse dixit, Spi-  
ritum S. testimonium de se perhibiturum, quod  
per incredulitatem repudiatum; sed tamen  
etiam cætera peccata, dum Spiritus S per legem  
luce Evangelij collustratam efficaciter convin-  
cit omnes. Ut ita causa damnationis meritoria  
sit quod vis peccatum, formalis verò sola incre-  
dulitas. Ut discamus medicinam anima omni-  
um vulnerum, & unam propitiationem pro de-  
lictis*

licitis hominum unicum esse credere in Christum, uti habet August. serm. 60. de verbis Domini.

21. Consequenter est, tum justitiæ improbatio v. 10. In quo subjectum: de justitia verò. Non sua, dum mundus nullam habet, sed de justitia DEI, quam mundus contemnit. Et quidem est ea, quam DEUS in Filio suo unigenito nobis exhibuit, 1. Cor. 1, 20. quamq; abitu suo ad Patrem Christq; nobis promeruit. Unde Aug. tract. 5. in Iohann. quo pacto mundus arguendus est de justitia, nisi de justitia credentium? Arguitur itaq; de peccato, quia in Christum non credunt, & arguitur de justitia eorum, qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio infidelium est vituperatio. Non ergo intelligitur justitia inherens, & activa fidelium, sed de justitia principaliter facti. Idq; patet ex sequentibus, dum inquit: Quia ad Patrem vado, Et quia subjicit, post hoc non videtis me, & quia mundus non intelligit quæ sit justitia coram DEO valeat, & quia scriptura testatur justitiam coram Deo valentem unice in Christo quarendam esse, dum factus pro nobis justitia, Es. 53, 12. Rom. 3, 24. Ut discamus illam solam valere, justitiam, quæ Christi est: utq; dicamus cum Ambrosio l. 1. de

de Iacobo & vita æterna: *Glorior non quia  
iustus sum, sed quia redemptus & iustificatus  
sum. Intelligitur ergò non legalis, sed Evan-  
gelica, non activa, sed passiva, non comparata,  
sed imputata iustitia.*

22. Tum fundamentum respectu  
Dei: quia ad Patrem vado. *Vnde Christi  
abitus non tantum est declaratio Christi iusti-  
tia propria, sed etiam meritum iustitia per fi-  
dem credentium: declaravit enim abitus iste  
Christum sic esse iustum, & iustitiam hoc modo  
ipsi competere, ut per ipsum solum homines iu-  
stificari possint. Hoc est, inquit Theophyl. in  
Iohan. ostendit eis, quod ego, cum iustus fue-  
rim, & irreprehensibilem egerim vitam, iniu-  
ste ab ipsis occisus sum. Quapropter arguitur  
mundus de peccato quidem suo, de iustitia  
verò aliena sicut arguuntur de lumine tenebra,  
habet Augustinus tract. 5. in Iohann. & in  
Psalm. 109.*

23. Tum respectu Discipulorum &  
Apostolorum: *Non videtis me. Ubi enal-  
lage temporis presentis pro futuro, ut colligi-  
tur ex adverbio eti: ut verba accipiantur non  
absolute, sed determinate, scilicet eo modo non  
videbitis me, quo modo in carne mortali ha-  
tenuis me vidistis, non tam frequenter & con-*

tinuè, nisi ex peculiari privilegio. August. inquit. Velut nunquam eos visuros de aeterno Christum veritas pronunciat. Hæc ne iustitia est nunquam Christum videre, & tamen in eum credere? cum propterea laudetur fides, quoniam quem non videt Christum, credit se aliquando esse visurum? secundum hanc iustitiam numquid Paulum, numquid Stephanum iustos non fuisse, qui Christum post ascensionem viderunt, dicemus? Quid ergo est non videbitis me? nisi quomodo sum cum vobiscum sum. Non videbitis me humilem, sed excelsum, non videbitis me mortalem, sed sempiternum, non iudicandum, sed iudicaturum, ait August. tract. 5. in Johann.

24. Et iudicij taxatio, respectu mundi, v. 11. In quo subjectum: de iudicio autem. Non condemnationis, quò Christus mundum in Diabolo iudicavit, siquidem ex Joh. 12, 31. non loquitur de illo iudicio diaboli quò post apostasiam à Deo iudicatus est, sed de eò iudiciò, quia Satanus à Christo iam iudicatus & victus per peccata adhuc se vire expe- tit: quamvis cætera non excludantur, dum Spiritus S. arguet mundum de perverso iudicio, quo condemnat pios docentes. Eusebius Emisenus: Arguitur mundus de iudicio quo prin-

princeps mundi damnatus, & mundus ipse liberatus, sed tanti beneficii ingratus nondum sequitur Christum sua salutis autorem, sed potius Diabolum seductorem.

25. Et argumentum ab effectu: quia princeps mundi jam judicatus est. Princeps mundi est Diabolus, non quia verè sit, aut quia naturâ dominandi dignitatem habeat, ita appellavit; sed quia per deceptionem atq; rapinam hanc gloriam habuit; & nunc in errantibus propter turpem eorum vitam dominatur. Adulterinum igitur nomen principatus Diabolo est, non naturâ, sed errantium pravitate perdurans, habet Cyrill. l. 10. c. 40. Caveant igitur, monet August. tr. 95. in Joh. futurum iudicium, ne cum principe mundi damnentur, quem iudicatum imitantur. Ut discamus frivola, temeraria & affectuosa iudicia avertari. Nam inquit Bernh. Epist. 1. ad Robertum, quid tunc faciet de iniustus iudiciis, qui ipsas iustitias quoq; iudicabit, qui cuiq; merita recitabit, iudicium sentient profani quod hic spreverunt insani Sap 5, 4. Et profectò si mente cernerent homines, ait Ambrosius lib. ad virg. lapsam c. 8. quale iudicium immineat mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate seculari, si non in infide-

litate gravaretur. Et observemus tamen etiam ipsum iudicatum esse, ut non regnaret intrinsecus, ait Augustin. lib. 4. de Trinit. c. 13. sed forinsecus oppugnaret, non tamen expugnaret, modò apprehendamus armaturam spiritualem Eph. 6, 11.

26. Respectu Apostolorum ubi est partim personale, propter impotentiam v. 12. In quo castigationem quandam præmittit Dominus, & partim sui officij necessitatem exponit, dum inquit: adhuc multa habeo, quæ vobis dicam. Id est possem & vellem de hisce pluribus agere; quemadmodum phrasis ita usurpatur, Luc. 7, 10. Joh. 8, 27. sicut & Syrus reddit, rursus multum est mihi dicendum. Quid est autem quod Dominus promittens discipulis Spiritum Sanctum Joh. 15, 15. querit Leo serm. 2. de Pentec. c. 6. qui iam dixerat, omnia quæ audivi à Patre meo nota vobis feci, adhuc multa, inquit, habeo vobis dicere? Numquid Dominus inferioris scientiæ sese volebat intelligi; aut minus aliquid quam Spiritum Sanctum à Patre didicisse? quum & ipse dicat, de meo accipiet: sed oportebat capacitatem eorum, qui docebantur, auferri & multiplicari constantiam caritatis. Non sane propter incredulitatem & perniciam



naciam discipulorum hæc dicuntur: deberes enim magis exprobrare: quin mœrorem respexisse videtur discipulorum.

27. Et partim Apostolorum tarditatem & infirmitatem describit, dum inquit: sed non potestis portare: Ubi verbò Βασίλειος per metaphoram utitur, quod idem denotat ac si dicat, non potestis ea capere, non estis idonei ut ea intelligatis, quemadmodum Suidas ex incerto autore in ea significatione allegat; referturq; non ad animum, sed ad intellectum. Syrus reddidit per vocem, comprehendere. Causa verò propter quam Apostoli ea, quæ Christus dicenda habebat, capere non poterant, est intellectus imbecillitas, deinde præconcepta opinionis falsitas, tum fascinati erant opinione de terreno Messia regno, & deniq; mœroris gravitas. Unde Albertus in hunc locum: Apostoli ea portare non poterant, id est non capere, non intelligere, non retinere, quia passiones tam fuerunt vehementes. Multa inquit, dicendo sibi restare profunda & ultra quàm humanus animus ferre posset, habet Cyrill. in Joh. lib. 10. Et alia sunt mala, quæ non potest portare qualiscunq; pudor humanus; Et alia bona, quæ non potest portare pravus sensus humanus, habet Augustinus

tract. 96: in Joh. Unde idem ait: cum Christus inquit ipse tacuerit, quis nostrum erit qui dicat illa vel illa sunt? aut si diceret, unde probabit? Quis enim est tam vanus aut temerarius qui cum dixerit etiam vera quibus valuerit, & quae voluerit, sine ullo testimonio aivine affirmet ea esse, quae tunc temporis Dominus dicere noluisset? quis nostrum hoc faciet, & non maximam culpam temeritatis incurrat, in quo nec Prophetica, nec Apostolica excellit autoritas. Interim non sunt traditiones, quia facile possunt portari seu intelligi, dum non continentur in iis mysteria. 2. Ea quae voluit nobis dicere & nobis sunt necessaria, iam tradita, uti ex sequentibus patet, per Spiritum Sanctum, dum subjicitur, ille docebit vos omnia Job. 14, 16. omnia sunt revelata, dum omne DEI consilium de salute nostra annunciarunt auditoribus Actor. 20, 27. dum exhibuerunt hominem perfectum in Christo Jesu Col. 1. 28. Interim discendum, ut simplicioribus simpliciora & perfectis perfectiora Doctores dogmata dicant, uti loquitur Rudolphus Ardens, nec in subtilitate sermonis, nec in multitudine dicendum, nec discussionis subtilitate; ne aliquam varietate loquendi corda gravent auditorum, & plus quam viderint posse portare

portare, proponant, uti loquitur Simon de  
Cassia lib. 12. c. 13.

28. Et reale, conjunctim est Spiritus  
informatio v. 13. In quo circumstantia,  
cum autem venerit ille. Loquitur igitur  
de Apostolorum persona, & de missione Spiritus  
S., qua facta est in Festo Pentecostes. Per  
ille vero intelligitur Paracletus.

29. Et summa, cujus declaratio quo-  
ad appellationem sui, est Spiritus veritatis.  
Vbi per heterosin ad pronomē generis Mascu-  
li subjicitur nomen generis neutrius, quemad-  
modum Matth. 28, 19. Act. 26, 17. Rom. 2, 29.  
Job. 14, 26. & 15, 26. Eph. 1, 13. Vocaturq;  
Spiritus veritatis ratione essentia, quia est ipsa  
essentialis veritas, 1. Job. 5, 6. Ratione perso-  
nae, quia procedit à Patre & Filio, qui uterq;  
est veritas, Job. 14, 6. Ratione differentia, qua-  
tenus opponitur spiritui malo, 1. Reg. 2, 22.  
1. Tim. 4, 1. Ratione permanentia, qui fir-  
mum dicitur Ebrais verum, & ratione effi-  
cientia.

30. Et ab effectu: ducet vos in o-  
mnem veritatem. Hoc est veritatis cogniti-  
onem vobis elargietur revelando ea, quae nunc  
non capitis vel intelligitis. Hic enim erit solus  
à Christo Magister & dicendus & verendus:

novit enim exactè veritatem, quia Spiritus est, inquit Cyrillus lib. 10. in Joh. c. ult. & eam non ex parte, sed integrè revelavit, ut Dux via, ut Pastor Ecclesie, ut Magister in informatione Ecclesie. Et quidem in omnem veritatem: qui autem dicit omnem, ait Ambrosius lib. 2. de Spiritu c. 12. nihil praterit. Quae etiam promissio in Apostolis impleta est in die Pentecostes, Act. 2, 14. Et nunc in singulis fidelibus, non immediatè, sed mediatè per verbi ministerium. Unde Athanasius dicebat in lib. contra gentiles: ita sufficiunt libri sancti ad veritatis institutionem, & remedium unicum sunt volentium cognoscere filium Dei, quod & habet Autor homil. 29. in Matth. operis imperfecti.

31. Et ratio, per remotionem: non enim loquetur à semetipso. Quia nec à semetipso est, ideoque non novam aliquam Christo contrariam doctrinam tradet. Nec aliam, inquit Cyrillus lib. 10. in Joh. c. 41. quam ego docui disciplinam sequetur, nec alias leges feret, sed cum quasi mea mens sit, ea quae mea sunt, revelabit. Hae enim à Salvatore dicuntur, non ut ministri locum Spiritus habere videatur, sed ut ejusdem esse substantiae cum Filio confirmetur.

32. Et per positionem, ab effectu, in genere: sed quæcunq; audierit loquetur.

*Qua intelligenda sunt οἰκονομικῶς, ut audire illi sit, idem quod scire; scire vero esse, habet August. in Joh. tr. 99. Hoc est igitur Spiritui Sancti audire quod est de natura Patris & Filij procedere: & hoc est loqui, quod est per gratiam nostris cordibus in effabiliter intimare, ait Fulgentius contra Fabianum lib. 7. Locutus autem est Spiritus S. non per vocem, sicut Christus, sed per inspirationem internam, uti verbum loquendi accipitur, Joh. 13, 24.*

33. In specie: & quæ futura sunt annuntiabit. Ubi non absolute & simpliciter quælibet futura, sed ea tantum quæ ipsis scire utile erat. Vnde non loquitur universaliter. Non modo statum futuri seculi, uti Beda voluit, sed proprie & principaliter ea futura, quæ in Mose & in Prophetis nondum erant patefacta, videlicet de afflictionibus, de heresibus, de adventu Antichristi, de Epicureismo: Inde inquit Chrysostomus, hic maxime Spiritus dignitatem ostendit, cum Deo sit proprium maxime futura annunciare. Et ventura etiam nobis annunciat, dum nos à delectatione presentium abstrahens promissi in caelis regni desiderii inflammat, ait Beda. Et ne forte

tempora persecutionum scire expetant, ut idem Chrysoſtomus habet: Homines enim per naturam cupiditate flagrant futura precognoscendi. Ideoq; Apostoli frequenter interrogabant quò iret, quæ esset via? quam curam tollit, dum Spiritum omnia annunciaturum pollicetur, ne incauti errarent.

34. Distinctum, est Christi glorificatio v. 14. in quo propositio: ille me glorificabit. Quasi dicat hic erit scopus Spiritus S. omnia ad gloriam meam dirigere: non ut gloria Christi quicquam decedat, sed potius ut per illud gloria illustretur, non ut abstraherentur à Christo, sed ut adducerentur, quia 1. Pater glorificavit Filium, eum à mortuis suscitando, Act. 3, 13. Et Filius etiam, cum sit unius essentie, Job. 5, 19. Et Spiritus S. 1. per visibilem sui effusionem, Act. 2, 33. dum promissionem implevit, 2. per Apostolorum illuminationem, unde Chrysoſt. Homil. 77. in Johann. quomodo? in nomine meo virtutem dabit! Et quia 3. per eum tanta charitas in cordibus discipulorum accensa est, ut abjectò timore carnali effectum resurrectionis ejus constanter predicarent. 3. per Evangelii predicationem: inde vocatur Evangelium gloriae Christi, 2. Cor. 4, 4. 4. per miraculorum operationem, dum in nomine Christi

Christi miracula fecerunt, Act. 6. 3. Et deniq;  
per multorum millium conversionem, Act. 4.  
v. 4. unde Beda Spiritus glorificat Christum,  
cum sua nos inspiratione ad diligendam eius  
visionem accendit, cum illum Patri in divini-  
tate equalem esse credendum fidelium cordi-  
bus intimat.

35. Et ratio partim desumpta à causa  
impulsiva: quia de meo accipiet. Hoc est de  
mea scientia novit quicquid novit. Neq; enim  
pronomem meū possessivè, sed essentialiter usur-  
patur, ut etiam Hilarius interpretatur: à Filio  
accipit, quia & ab ipso mittitur, & à Patre pro-  
cedit. Unde exclamat August. tract. 100.  
in Iohann. catholicis audite auribus, catholi-  
cis percipite mentibus! Non enim propterea,  
uti heretici putarunt, minor est Filio Spiritus S.  
quasi filius accipiat à Patre, & Spiritus à Filio  
quibusdam gradibus naturarum. Absit hoc  
credere, absit à Christianis cordibus cogitare.  
A patre accipit Spiritus S. unde accipit Filius,  
quia in hac Trinitate de Patre procedit Spiritus  
S. Id quod patet ex textus connexione, ex ver-  
borum consideratione, & locorum parallelo-  
rum collatione. Et quamvis in quibusdam  
codicibus habeatur præsens, tamen futurum in  
plerisq;

pleriq;. Non quod Spiritus aliquid acquirat, quod prius non habuerit, sed quia acceptum, aeterna processione nunquam deficit, uti loquitur Albertus in hunc locum. Et acceptatio haec aeterna est, & continet in se eminenter omnia tempora, ait Augustin. tractat. 99. in Johann.


36. Et quoad objectum: annuntiabit vobis. Dum non novam doctrinam, sed eam ipsam, quam Christus docuit, suggessit etiam Apostolis. Ut discamus eandem essentiam, eandem doctrinam.

37. Et à Christo acceptorum annuntiatio v. 15. In quo tum est causa, arctissima Patris & Filii unio & communitio: Omnia quaecunq; habet Pater mea sunt. Dum ergo inquit omnia, nihil reliquit quod minus haberet à Patre. Omnia inquit Aug. serm. 6. de tempore, id est unius Deitatis potentiam, substantiam, maiestatem. Et exquisitissima, ait Cyrill. l. ii. c. 2. usus oratione: non enim dixit: quia quaecunq; habet Pater, & ego habeo: ne imago quaedam exterior ad primitivum formata, quemadmodum homines, qui ad imaginem Dei facti sumus, esse videatur, sed mea sunt, ait, identitatem substantiae ultimam in proprietatibus incommunicabilibus in utriusq; ostens-



ostendens. In quibus enim nulla differentia est, sed substantia identitas maxima, quomodo illis eadem omnia natura non erunt? Et ne ab opere salutis videatur Pater exclusus, hoc quoque addit, ut notetur vera Filij Deitas, Spiritus S. cum Patre & Filio essentialis unitas, ejusdem personalitas, & tandem trium Divinitatis personarum equalitas.

38. Tum materia propterea dixi vobis quod de meo accipiet, & annunciabit vobis. Ita per *Iti? & v* repetit quod ante posuit. Ut discamus nec scripturam sacram quippiam proponere sine ratione.



## NOTÆ.

I.

**N**emo interrogat ] considera Christum culpares negligentes interrogare de rebus spiritualibus; ut discas frequenter, si velis esse Christi discipulus, interrogare.

II. Spi-

II.

**S**piritus arguet] considera signum ad-  
ventus Spiritus S. esse arguere peccata;  
ut discas, in te quoq; fore Spiritum S. si  
mundum de peccatis argueris.

III.

**S**piritus veritatis vos docebit o-  
mnia] considera Spiritum S. etiam  
dari ne erremus; ut discas amare spiritum  
ejusq; ductum sequi, ne labaris.



## C A S U S.

An liceat inferiori interrogare supe-  
riores?

**N**ON videtur 1. quia Apostoli non fece-  
runt Joh. 16, 5. Et alias dicitur non  
audebant ipsum interrogare, Joh. 21, 12.

2. Quia non sunt vulganda omnia.  
adeò ut qui consilia publica vulgat eum  
capite plecti velint jura l. omne 6. §, 4.  
ff. de re militari.

3. Non omnium ut nec reddi ratio po-  
test, ita nec debet, arg. l. 20. ff. de L. L.

4. Etiam

4. *Etiam in jure canonico expresse  
habetur quod Papa à nemine judicandus  
c. si papa dist. 40.*

*Contra 1. Christus hic improbat quod  
non interrogaverint discipuli.*

2. *Jubemur querere ut inveniamur.*

3. *Si quis quædam sciverit damnosa  
& non monuerit, hostis habetur l. quis-  
quis §. id quod C. ad l. juliam Majest.  
Mynscent. 5. obser. 40. Qui autem  
scibit, si non inquisiverit?*

*Ad contraria 1. est facti, & propter  
ea sunt Apostoli à Christo culpati. Non  
verò audebant interrogare, qui uti inibi  
additur, satis constabat ipsum esse Domi-  
num, quum scirent quod is sit Dominus:  
tanta evidentia erat veritatis quod Jesus  
esset, habet Glossa ad eundem locum.*

2. *Aliud est vulgare consilia hosti,  
aliud interrogare & inquirere, ut monere  
possit, si quædam damnosa: modò non fiat  
ex curiositate, sed ex fidelitate, potis-  
simum, quum postulat officium.*


*Ad*

Ad 3. loquitur de ratione legis latae, quam non tenetur *Jctus*, qua talis, reddere, sed qua *nomotheta*. Aliàs licentia est amico interrogare, ait Simon de Cassia lib. 12. c. 13. sed non servo exquirere, quo velit pergere Dominus.

Ad 4. habetur ita, sed iniquum est, habet idem *C. iniquum* 23. q. 6. ut quis de alio judicare velit, de se verò judicare nolit. Deinde limitatè dicitur, si à fide devius. Ergò ut cognosci possit, ansit, inquirendum. Nam istos non novit Deus, qui operantur iniquitatem, Matth. 7, 23.

Quin ipsi pontificij illam adulationem improbant, dum ajunt, quod peccandi licentiam non habeat, c. non nos 40. dist. 6. Petro non datur privilegium: ubi iniquè fertur judicium c. manet 24. q. 1. Specular. tit. de legato §. nunc ostendend. n. 51. Et tit. de dispens. pontificiam potestatem ratione honestatis, Decalogi ac Evangelij præceptis restringit.






**M**Alleg & bacul9 veluti percellit iniquos.  
Sic & mœstities corda stupere facit.  
Quando refert Christus: nunc qui me misit ad  
illum.

Vado, nec quorsum qui roget ullus adest.  
Sed quia sum vobis hæc ipsa locutus in ante.  
Vestra repentinus pectora mœror habet.  
Ast ego vera loquor: vobis nimis expedit hoc ut  
Vadam: ni fiat, non paracletus erit.  
Si tamen abscedo Paracletum mittere vobis  
Promitto: veniet, credite, vera loquor.  
Arguet ille sui sceleris, cum venerit, orbem.  
Iustitiæq; suæ, iudicijque sui.  
Arguet & de peccato quia credere nolunt  
In me, Christus ait: mundus eritque reus.  
Et de iustitia, quoniam nunc vado vicissim  
Ad Patrem; post, me nemo videre potest.  
Et de iudicio quia regem temporis huius  
Iudicium scitis sustinuisse suum.  
Multa quidem vobis essent dicenda, sed illa  
Nemo tamen vestrum nunc tolerare valet.  
Venerit ast ubi cum veraxis Spiritus, ille  
Verum dicet ut is, ducit in omne suos.  
Asenset non ipse loquetur, at ipse loquetur  
Sunt audita prius; quæque futura ferat.

Hic

Hic me glorificaturus prænunciatus, omne  
De nostro capiet, quod feret, ille sinu.  
Ergo quid luges Dominum, quo venerit, is se?  
Id prestat nobis omne salutis opus.  
Talia proponit ΒΛΚΙΟΥΣ, sed talia pergat!  
Ac ipsi baculum erades utrumque Deus.

GUEINZIUS.



Ἡνίδ', ὃν Ἰησοῦς λέγε, μῦθ' ἑτήτυμός ἐστι  
φέρτερον ἅμμι βροτοῖσιν ἀπίστυτον αὐτὸν  
ικάνειν;

Ἐι μὴ γὰρ καταβῆ, παρρησίην κόσμῳ ἀπειθήσει  
καὶ κεν ἰσθαίων καὶ ψευδῆς λαὸς ἀγῆνωρ  
καὶ λοιπὸν, νῦν Χριστὸς ἐπ' ἔρανίοιο θεοῖο  
ὅτι γόνθ' κατέβη, ποιήσῃ δέλημα πατέρων.  
Πνεῦμα παρὰ κλητὸν μετὰ γαῖαν ἐπέμψῃ ἀνώ-  
θεν

Ἄτρεκίης ὀχετηγόν, ἀπειθέα κόσμον ἐλέγξει  
ἕνεκα δυσσεβείης ὡς ΡΑΒΔΩ ΤΑΥΤΑ ΠΑΡΕΣΙΝ  
Τμήμασιν ἄναμμηθήσκει φίλθ', ἀλλὰ βα-  
δίση

Ἦδε καλῶς ΒΛΚΙΟΥΣ πότε καὶ ΡΑΒΔΟΥΧΟΥ  
εἰσεῖ).

apposuit

HENRICUS CAMERARIUS  
Aconiensis-Saxo.

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017



EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

UM  
CARUM

*Septima*

E  
GUEINZIO

lensis

te  
BAKIO

Saxone

ntate.

C. IIII.



ONUM

elchioris Oel.

*In. Un*

*2 =*